

E P I S T O L A

pendere possunt, à Veritate tandem abalienentur, totamq; causam fortè suspectam habere incipiant: operæ pretium fuerit istius controversiæ capita præcipua breviter hîc repetere, ut postea utraq; parte auditâ quilibet pro suo candore faciliùs rem dijudicare, & sententiam ferre queat.

Primum itaq; quod Deus bene vertat, propono eis talem Syllogismum:

Quicquid vel manifestò falsum, vel aliis de causis juventuti prorsus incommodum esse constat, illud, si recta & meliora haberi possunt, bonâ conscientia in scholis doceri nequit.

Sed pleraque in vulgaribus præceptis Latinæ Grammaticæ vel manifestò falsa, vel aliis de causis juventuti prorsus incommoda esse constat, possuntq; facilè recta & meliora haberi.

Ergo pleraque in vulgaribus præceptis Latinæ Grammaticæ bona conscientia in scholis doceri nequeunt.

Major per se patet. Falsa enim scientem & volentem docere est contra expressum mandatum Dei omnipotentis, qui per Zachariam nos jubet diligere VERITATEM & PACEM, & in locis quamplurimis curam juventutis nobis accuratum cõmendat. Est hoc itidem contra mentem & voluntatem illustrissimi Principis & Electoris Saxonie, Domini nostri clementissimi, qui vera tantùm & divina voluntati

tati